

18

Tot urbes coepisse: a fundamentis excidisse: Cur non par fortuna sit speranda: si ad alias quoque Italiae urbes ducantur. Proinde orare: ut aut reuerti liceat in Pannonias ad uxores & liberos: aut ultra producantur: pessimum esse fame mori. Has uoces Athila cum audiret: metueretque: ne serperent latius: & improba aliqua seditio oriretur: plenus curarum: quid ageret: aut quo uerteret sese. Forte Aquileiae muris obequitans: erigit oculos ad turrum editiorem: Prospicit inde Ciconias pullis in plumibus rostro apprehensis: lictus proximum petere. Rex quem ferunt fuisse augurii studiosum ex eminenti loco: conuersus ad suos: ut exaudiri posset. Videtis ne inquit: ut aues illae praescia futurae cladis assumptis pignoribus: urbem relinquunt? Sic isti quos obsidemus meditantur. Et effugient illi quidem: Nisi eorum fugam auerterimus. Sin parumper annitimur: urbs & omnis urbis gaza in manibus uestris est. Responsum ab omni multitudine paratos mori per ferrum potiusquam per inediam. Ducat sub menia & quocumque libet. Paratos se caelum scandere: si oporteat. Operam: quam fortes uiros decet: prestituros. Quis tum esset oppidanorum atque Romani praesidii status: Quum urbem hoc postremo impetu superare est adortus: scriptum ab ullo non inuenio: & quum omnes dicant Athilam fame compulsam ad oppugnationem uenisse: & ciconiarum discessum ad faelicium augurium uertisse. Tamen an eadem fames urget obsessos sicut inuere augurium uidetur: & quo animo defensa sit urbs: & quo expugnata: incertum. Sicut etiam incertum: an muros hostis transcenderit: an uero tormentis aperuerit. Capta urbs opulentissima ab irato hoste: Iussus miles per omnes sexum & aetatem pariter sequere. Sacra profanaque omnia direpra. Nec a templis & urbis menibus temperatum: Omnia ita eruta a fundamentis: ut ubi nam fuerint: nullum fere antiqui operis uestigium conspiciatur. Caesa ut iuueno Celio placet: septem supra triginta mortalium milia. Caeterum irrupentibus in urbem barbaris per illam discurrentium rapientium: efferentiumque confusionem: multi mortales sese ad mare fuga proripiunt: & quicquid possunt sacri profanique Gradum comportant. Aucta Gradus non turba solum populari: sed nobilium etiam numero uirorum. Caeterum Niceta patriarcha: initio ne Barbaricae excursionis: an uero posteaque obsideri: aut oppugnari cepta Aquileia incertum: Gradum & ipse profugit cum sacris omnibus cumque sanctorum reliquiis. Ibi que tantisper fuit: quoad Athilae ex Italia discessu uersa in serenum tempestas. Hanc urbis captiuitatem: aliter nonnulli confingunt: scribunt etenim Caesum quem supradiximus in acie populi numerum. Reliquam deinde multitudinem ad iustam obsidionem redactam: Quum extrema atque horrenda fame conficeretur: